



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

10. Nocumenta quæ mali inferant bonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

uat famam bonam: ne exemplo suo malo no-
ceat proximo. Qui quartam partem habet, abu-
sionem bonorum temporalium cauet. Hæ qua-
tuor partes innocentia sunt quasi quatuor late-
ra claustris spiritualis: intra quæ spiritus bene or-
dinatus deambulat: secundum illud Psal. Per-
ambulabam in innocentia cordis mei. Pratum
verò amænissimum est conscientia sacris me-
ditationibus intentissima: cœlestibus desideriis
fragantissima, vbi velut lilia candent affectio-
nes castitatis: velut rosæ rubent affectiones pa-
tientia & pietatis: patientia rubore proprio:
pietatis alieno: vbi velut violæ redolent affe-
ctiones humilitatis. In medio spes velut laurus,
perpetuum virorum præstat & vmbraculum.
Vbi non deest aqua cœlestis doctrina, vnde est
viriditas, secundum illud. Eccles. 40. Super om-
nem aquam viriditas ad oram fluminis.

De nocementis quæ mali inferunt bonis.

CAPVT X.

ID notandum quòd in religione mali multis
modis nocent bonis. Quantum ad bona tem-
poralia, nocent eis superfluè circa se ea expo-
nendo: vel his quibus danda non erant, ea dan-
do. Nocentes primo modo similes sunt vsurari-
is: qui volunt esse socij in lucro, & non in dam-
no. Minus enim cæteris volunt laborare: plus
cæteris consolationis habere. Exemplum se-
cundi nocementi habemus in Iuda proditore,
qui fur erat, & loculos habens, quæ mitteban-
tur, portabat. Quæ danda erant pauperibus: da-
bat vxori suæ & filiis. Satis deberet sufficere ad
com.

Joan. 12.

compescendum ab hoc peccato, pœna infelicis
 mortis: cuius hoc peccatum ei occasio fuit. Su-
 spensus enim crepuit medius. Nocent etiam
 mali bonis in religione, subtrahendo eis de-
 bitum beneficium, & præstando eis salutis
 impedimentum: fratrum aduersarium iuuan-
 do, & per verba detractionis vel conuitij fratri-
 bus iniuriando. Subtrahunt eis beneficium
 Consilij, exhortationis, consolationis, exempli
 boni, adiutorij & correctionis: vnde innocen-
 tes non sunt. Augustinus. Duobus modis nocet
 homo, scilicet si facit miserum, vel deserit mise-
 rum. Idem in regula sua. Innocentes non estis,
 si fratres vestros quos iudicando corrigere po-
 testis: tacendo perire permittis. Salutis præ-
 stant impedimentum, qui ministrant malum
 exemplum: quia volentibus ire in paradysum
 resistunt: dum in via cum eis incedunt, & quasi
 ad manum trahunt in infernum, quos trahere
 debuerunt in paradysum. Aduersarium iuuant
 dum peccant. Se enim ligant: & impotentes se
 reddunt ad aduersarij impugnationem. Ad-
 uersarium etiam iuuant, dum verbo vel facto
 ad malum fratres incitant: quod non est parua
 proditio. Manifestè proditor iudicaretur, qui
 in conflictu existens, cum deberet iuare

Astor. 1.

*Inertia
 reg. circa
 med. tom. 11*

suos, verteret se ad aduersarios,
 & impugnaret focios
 suos.



R 4

De